



## CAPUT I. DESCRIPTIO PLANTÆ.

**K**ώνειον Græcorum, cicuta Latino-  
rum, plantæ genus est ex clas-  
se naturalium belliferarum, pentandria,  
digynia. Syst. Sex. CL. Linn.

Cicuta nostra a botanicis definitur,  
planta caule procero ferulaceo, gla-  
bro, crasso, intus inani, nonnullis  
subrubentibus maculis consperso; supra  
tres non raro cubitos assurgens, cuius  
fastigia umbellæ occupant, involucro

polyphyllo universali ac partiali suffulta. Umbellulas flosculi componunt, pentapetali, petalis inflexo cordatis staminibus quinque simplicibus, antheris subrotundis, ac stylis duobus reflexis donati.

Singulo flori succedit semen subrotundum, striatum, bipartitum, cuius partes fere hemisphaericæ, hinc convexæ, illinc planæ existunt.

Radix est dodrantalis, candida, crassitudinis digitæ.

Tota herba ingratum, foetidum spirat odorem, & nonnihil cantharides redolet.

Planta hæc mox definita multum hallucinari fecit botanicos, ita, ut venenatissima illa veterum cicuta, qua Socratem e medio sublatum Plato refert

mi-

---

DESCRIPTIO PLANTÆ. 7

---

minime esse videatur. Unde & quædam inter eos controversia de nominis definitione certa exorta est.

Bauhinus in suo Pinace. 160. Cicutam vocat majorem.

Clusius hist. 2. p. 200. cicutariam majorem vulgarem nominat.

Royen Lugd. bat. 107. conium appellat.

Tournefort. in element. bot. 160. cicutam dicit.

Linnæus, rei botanicæ in ordinem inconcussum redigendæ studiofissimus, omnem movisse videtur lapidem : duo nimirum distincta genera, ex duabus hucusque nomine confusis plantis, conio nempe, & cicuta creavit, ac singulum genus charactere proprio distinctivo essentiali dotavit, ita; ut uni ge-

neri, cuius qualitatem in sua mat. med. p. 43. venenatissimam dicit, nomen genericum cicutæ sub sequenti definitione reliquerit.

*Cicuta umbellis*, folio oppositis, petiolis marginatis, obtusis; fructu subovato - fulcato. syst. Nat. Tom. II. p. 960.

Et hæc est sium erucæ folio Bauh. pin. 154, quam Linnæus pro sua cicuta Officinali habet.

Plantæ vero, quæ tam nostris, quam & multarum regionum officinis sub nomine cicutæ communis venit, cuius & nunc qualitatem describere mens est, Linnæus nomen conii subsequenti definitione imposuit.

---

DESCRIPTIO PLANTÆ. 9

---

*Conium caule maculato, semine sub-globoſo, quinqueſtriato, utrimque cre-nato.* ſyſt. Nat. Tom. II. p. 956.

In locis tam ſiccis, & aridis, quam uliginofiſis, planta hæc provenit: ſed ad vires dijudicandas indifferens eſſe mini-me videtur, e quali ſolo averruncata ad uſum medicum adhibeatur; an ex humido, aut ſicco? plantæ enim, & præſertim umbelliferæ, quoad locum valde variant, ita, ut in ſicco aroma-ticæ, calefacientes, in humido acres evadant.

*Locus ſiccus ſapidiores: ſucculentus inſipidas magis, aquofus ſæpius corroſivas redit.* Linn. Phil. bot. p. 283. aphor. 357.

Exemplum habemus in Apio paluſtri, quod plantæ genus utut acre fit, ſola cultura in hortis dulce, ac edule

evadit: verum & dulce hoc apium, fatum, in loco uliginoso, ut sibi relatum crescat, teste Rayo in pristinum acre paludapium denuo degenerat.

Confirmatus sum experimento egregii sane botanici Jac. Well. ad nigrum ursum pharmacopæi, qui tenellam conii plantam, ex solo humido evulsam, de industria ollæ imposuit, diligenter coluit: plantula læte, alteque excretivit quidem; sed mutato aliquatenus sapore, longeque alium spirabat odorem.

Quare nullus miror, exoptatum semper adhibita diversa planta, saltem quoad solum diversum, adipisci non posse effectum, cum tantæ non parvimomenti diversitates qualitatum in ipsissima eadem planta obvenire possint.

Cæ-

---

DESCRIPTIO PLANTÆ. II

---

Cæterum in colligenda hac planta attentus sit, oportet Rhizotomus; ne chærophillum temulum Linnæi pro conio aut cicuta nunc descripta colligat. Error enim hic ideo facile contingere potest; quod binæ hæ plantæ quamdam habeant similitudinem, ita, ut non nisi a botanico systematico facile distingui possint.

Definitur vero chærophillum temulum: chærophillum caule maculato, geniculis tumidis. hort. clif. 102.

Myrrhis annua vulgaris, caule fusco. Moris. hist. p. 302.

Crescit hæc planta quoque inter cicutam, ad arvos, vias sepes &c. distinguitur vero his notis.

Cicuta, seu conium involucrum habet polyphyllum ad horizontem positum:

tum : chærophylum vero involucro gaudet reflexo , concavo ; petalis cordatis , fructu oblongo lævi ; nec odor chærophylli adeo fœtidus est , ac conii .

Rogavi expertissimum Jacob. Well , ut examini chemico cicutam subjiceret , annuit ille petitioni , & sequentia obtinuit.edu&ta atque producta .

Libra una hujus plantæ balneo arenæ imposita , & gradu caloris valde leni tractata , præbuit primo phlegmatis , aquæ instar limpidi , insipidi , odoris ferme nullius , nisi paulisper fatui , drach. vβ; ; hoc phlegma colorem cyanum nihil prorsus mutabat . Semoto hocce , jam sequebantur phlegmatis parumper colorati , odoris magis fatui , ac naufeofi , saporis valde exigui , & modice tantum empyreumatici , drach.

vijj β;

vjj $\beta$ : Verum nec hoc phlegma colorem cæruleum alterabat. Pergebat, gradum ipfissimum caloris per tres horas sustentare; cum vero per hoc tempus nil amplius prodire vidisset: jam ignem gradatim intendebat, & sensim tunc prodibant laticis fusti, graveolentis, spiritus cuiusdam animalis instar acris, odore volatilis, linugam pungentis unc. iij. drach. iij. Latex hic jam manifeste erat alcalinus, cuius prima prostillata drachma colorem violaceum in intense viridem mutabat, sub hujus spiritus alcalini continua extricatione sal simul prodibat alcali volatile copiosum, quod dedalæis suis ramificationibus latera recipientis undique tegebatur; salis hujus fisci e collo recipientis drach. j. gran. xx. extraxit reliquum, quod ficum exi-

eximere non poterat , aqua prius ponderata eluit , & ponderis drach. jj. gran. xxv. deprehendit , bonam adhuc portionem hujus salis sublimati cum spiritu effundebat , quod in eo disparuit ; nec pondus illius determinare valebat . Jam ultimo sequebantur olei tenacis , crassi , nigerrimi , foetidissimi unc. iβ. drachβ.

Hæc producta monstrant manifeste plantam hanc totam animalem esse , cum nec minimum acidi educiti visum sit , quod tamen observatis Cl. Geoffroy valde reluctatur , qui acidum in copia se extricasse ait . Nec video , et si hæc experimenta cum sicca planta instituta sint , plantam in leni exsiccatione , omne acidum , si quod habet , præter hoc ,  
quod

---

DESCRIPTIO PLANTÆ. 15

---

quod ad genesin salis alcalini volatilis  
facit, amittere posse.

Carbo relictus post destillationem  
levis erat, & pendebat unc. iij. drach. j.  
quem per duas horas in vase aperto cal-  
cinabat; sub qua calcinatione validissi-  
ma odorem adhuc spirabat urinosum;  
elixati dein salis alcalini obtinuit drach.  
iij. terræ vero indissolubilis remansit  
unc. j. drach. β.

Jactura sub destillatione est unc. j.  
drach. vij sub calcinatione carbonis unc.  
iβ. drach. β.

CA-